

III.  
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 90.

Klyslum-Meum.-Die Martis 26. Dec. 1809. (Neov. 8. Dec. 1809.)

Meditationes — nocturno tempore.

Nox clarius Coelum indicat.

*Arie.*

Deficiente vespertino tempore diurna luce, cum, ut Mantuanus vates canit, *majores cadunt altis de montibus umbrae*, dum strepera vita obmutescit, lassique mortales, omnesque animantes sopori se tradunt, dum universum mortui instar, feralibus tenebris immersum quiescit, tunc augusta majestate caput non attollit, æviternas sidera radios de Coele in tenebras nostras defundunt, non ceruimus amplius orbem terraqueum cum omnibus gratiis & ingratis suis, — alios solum conspiciamus orbis, ex infinito Universi spatio amicabilem deorsum lucentes.

Dimidia pars vitæ nostræ dies est, mundanis nos negotiis adducens, quia ad mundum pertinemus. — At & media vitæ pars nostræ nox est, aliique orbis infinito Coelo super nobis ratilaat, qui adfari nos videntur: Expende, sis, nos — non sola terræ portio es, Coeli quoque partem in te sibi vendicant, tempus tuum die & nocte absolvitur; partim hunc mundum, partim æternitatem respicis, non ita terræ immorari, ut Coeli obliviscare!

Profecto: quod homini plurimam ansem meditandi de se, naturaque suppeditat, id maximam quoque attentionem, æstimationemque meretur, non dies, sed nox eum ad Coelos contemplandos invitat, a terrenis eum abducit, eumque toti mundo conciliat. Si concubia nocte lucida quis oculos ad sidera tollit, stelligerumque intuetur coelum, tum infinitudo vitæ, atque spei se ei offert — quibus obices ab eo recedunt, obliviscitur se pulverem esse, immergiturque sensus plenissimis meditationibus.

Convivium in pectore ejus exstinguitur, proprii commodi studium silet, omnesque odiosi affectus voluptati, & amoris hominis cadunt.

Ideo in eo excitatæ sunt, quærît infinitum ens, neque id reperit. Mundus hic, mundus ibi, at ubi potens illa, eos creantis manus? ubi illa sapientia, omnia hæc ad hanc harmoniam disponens, inque ea conservans, in hac astrorum contemplatione beatum se sentit, mens ejus firmior reddita est, solenneque votum nuncupat: nunquam solis terrenis adhærendi, sed pericula mortemque aspèrnam, voluntati inconceptibilis, ubi-vis viventis, nusquam tamen reperibilis entis obsequendi.

Dies mater est vilium affectionum, nox parit grandia decreta. — Humanæ felicitatis promotio sane opus magis Noctis erat, quam diei. — In negotiorum tumultu, in conflictu proprii commodi studii homo diurna luce vix

sibi constat; contra noctis tempore, quo silentium innocentiaque eum comitentur, villitatis parvitatique vitæ obliviscitur, mentem, ingeniumque intendit ad energie sublimis perficiendum, deliberatoque animo se humani generis gratia imolandum.

Non Proserpina sed Phoebus genuit odium, contemptumque hominis. Nocturnum odiosum, & tetrum quod in homine est, evanescit; id solum menti nostræ se obtrudit, quod in eo magnificentum & venerabile; omnemque hostilem cogitationem ea animo expellit.

Momentosæ veritates certe noctis potius quam diei partus sunt. Dies laboribus delectat, mentem deprimit, impedit quominus attollat se, dum querulosa facta, adursionesque multorum hominum, quemvis animi aestum in eo suffocat; contra nox, tam excelsa & sublimis quam ipsa humana mens, eam foecundat, novæque & grandes veritates ab eo luci eduntur. Nocturne potissimum diva succubabat poemata Cel. Schillerus, & quis scit: an potentissimum ætatis nostræ ingenium mentosissima decreta animi sui, non etiam inter vigilas nocturnas constituerit?

Nocturne pallida mors non horrendam amplius monstrum, verum gratus genius, amicus in sublimiorem regionem comes nobis est. Non horremus amplius putredinem & cinerem, in quem convertemur, qui divina luce, quæ cunctos sensus nostros animumque in se convertit, ad desperationem agere possit. Nocturno tempore in veste solam,

quæ nos in terris ambit oberramus, alacri animo reddimus terræ quod suum est reposcenti, audacique vultu superas tendimus ad oras. Dilecti nobis, quos tempus coso maturiores fecit, quorum molliter jam ossa cubant, editiore jam regione, quam æque petimus, jam progrediuntur.

Solatum & lenimen animi cordi nostro instillat nox, animoque deliberato irruimus in pugnam, quam mali genii nobiscum inire moliantur. Nox itaque & non dies amica est, hominis — hæc multa abominabilia vidit, hæc contra velo obtegit sexcenta benefacta die lucente homines, instar herbæ falsæ demersæ, caduntur, nox amorem, æstimationem fovet erga humanitatem, imo omnia ea boni amica, mali cuiusvis inimica est.

Ast magnarum Incolæ urbium id genus non vacant meditationibus; convertunt noctes in suas voluptates, parum solliciti miracula Creationis admirari.

Interea, quo omnis natura, imo ipsæ plantæ ut *C. Linaeus de Somno plantarum* eleganter nobiliterque describit, nocte dormiunt, Urbicolæ vitam in voluptatibus omnis generis exigunt, Ita secum fert mos vicens cunctis medicorum adhortationibus implacabiliter dominans.

Nox quoque nonnulla delicta cooperienda habet; cum primis ex multo tempore commercio clandestino egregie serviebat; at nova agendi ratio hodie occipit, qua illud diffusius reddetur.

Omnes Imperantes Continentis Europæ hodie — tot exactis bellis — adversus Angliam hostili ratione, pro viribus agere obligantur. — Destituti maritimis viribus eo solum Anglis nocere possunt, quod iis commercium intercipient. Hoc igitur foedus obligationem iis injungit invigilandi, ne ullæ Anglicanæ merces Continenti exportantur. Omnes Status in hac obligatione foederi reddendis rationibus tenentur, & omnibus viribus huic Commercio in adversum agere debent.

Jam in Danicis dittonibus, ut *Altona* de i. n. m. scribitur, sequens. Edictum emanavit:

Cum vigore editi die 25. J. m. excelai Justiquævis Coloniales merces exteraque Manufacta isthio Interdicto affecta, superque eorum origine exacta per Commissarios Investigatio fieri debeat; universi igitur hujates quæstum agitates cives, & Incolæ, & quidem tam II, spud quos merces Interdicto affectæ, quam apud quos ad hoc tempus fieri non potuit, eo inviantur, ut proxima hebdomade consuetis Commissionis diebus utpote 5. 6. & 9. Dec. ante meridiem, 10 hora in Curia Civica coram Commissione compareant, eique scriptam designationem quarumvis decursu semestris superioris tam domesticorum quam exterorum Colonialium productorum, & Manufacturalium mercium exhibeant adnotentque una; quantum ex iis in eorum Depositoris contineatur.

Porro eundem hujatibus Incolis, prout & habitatoribus Ottniæ, qui domos, spatia coacervandis mercibus, stabula, & podia aservandis, deponendisque mercibus, elocarunt, districtim injungitur obligatio; memorato die æque Commissioni scripto indicandi, cui ea locatum dederint; ut Commissio convinci possit, factam indicationem exactam fore; præterea Mercatores, prout & cæteri quæstui vacantes hisce jubentur eidem indicare: ubi, & apud quem hujatum Incolarum Colonialia producta, exterasque Manufacturales merces depositas habeant. Altonæ die 29. Nov. 1809  
*Jessen. I. D. B. Baur, W. F. de Aspern. I. L. Kundt.*

Ut fama fert; Tonlagæ & Husumi eadem agendi ratio locum habuit. Ubique in Ducatibus militia agendi rationem Commissionis adjuvare iusta est.

Hanseaticas quod attinet, propediem omnia definiantur.

Sequentia lectu singularia sunt; — Monitor de 22. Nov. seq. ex Londinensibus paginis nuncium continet: „Litteræ Hamburgi memorant; videri Urbem hanc Appendicem magnæ nationis sub titulo: Membrum Rhenani Foederis futuram. Gallicus Minister D. Reinhardt auctor fuit Senatui: seorsim, aut junctim ceteris Urbibus Hanseaticis, Imperatorem Gallorum orent, ut Foederi Rhenano eas inserat; declaravit porro: in casu, quo hoc consilium Hamburgum non amplecteretur sortem Urbis minus favorabili ratione

direntum iri, quoniam tum Hamburgum vicino cuidam Statui adjiceretur; quare libertatis suæ custodiendæ gratia Rhenano se adjungat Foederi est necesse.

Publicæ Regiomonto 20. Nov. relationes confirmant reditum Regiæ Familiæ Berolinum. Usque futuri 17., ajunt, nulla aula apud nos morabitur; porro inuunt: parum aberat; quod Gallicum Generalem Consulem D. a *Clerembault* gravi ex morbo jacentem non amiserimus, cujus proxima causa asperum & ei peregrinum clima fuit, Grates sint ingenio Cl. Medici, Sux Maj. Regiæ Archiatri, ægotum de præsentî periculo jam eruptum esse.

C. a *Stakelberg*, senior Russicus ad hanc aulam Minister, cujus valetudo in hoc climate perinde multum afflictâ, exacta unius anni isthic mora, disvadentibus Medicis Italianam petiit, existimans mite Italicum clima valetudinis suæ statui profuturum; at sinistro nuncio comperimus: eum Turini ætatis 39 anno decessisse.

Novissimæ Parisinæ de 3. Dec. hæc memorant: Hodierna processio ad templum Cathedralè seqv. ordine disposita est: Equestres Heroldi armigeri, Carpentum Cæremoniarum Magistrorum cum adjunctis; duo Carpentum pro M. Officialibus Imperii; tria pro Ministris; unum pro Supremo Stabuli Magistro, & Cæremoniarum Magistris; duo pro Principibus M. Dignitariis, unum pro Rege Neapoleos; Carpentum Inaugurationale Imperatoris,

eul Cæs. Maj. & Rex Vestphaliæ inessuri. Gen. Col. Turmæ Prætorianæ Adjutores & Stabuli Magistri Imp. equis insidentes, Currumque stipantes. Mar. Gen. Inspector militiæ nationalis eum sequens; currus pro M. Eleemosynariis, Supremis Camerariis, & rei venat. Mag. a Carpenta pro Servitiâ præstante aulico Comitatu Imp. Inchoabit, claudetque processionem equestre agmen, cui præbit Gen. Gub. Urbis Parisiæ cum suo Gen. Stabo eques. — Pio Imperatrice, Cæs. familia, exteris illustribus personis, & diplomatico Collegio &c. pergulæ Chori destinatæ habentur. — Imperator, genua flectit, ante quam solio insideat, orans ad aram principalem, tunc Sacrum Missæ & Sacer Sermo, quò absoluto, M. Eleemosynarius Ambrosianum Hymnum decantat, quò decantato solennem impertitur benedictionem.

*Dos Mirabilis.*

„Cara Animula!“ dicebat vice quadam Tyrolensis Amasæ suæ; ambo quidem pauperes sumus, at te majoris facio denis florenorum millibus; O dilecte Jacobe! reddebat illa, tu senis mihi Flor. millibus es potior. Bene, reponit ille, optime! ego te possidendo amplius quam 10, tu vicissim me aquirendo, ultra 6000 lucrificis Florenos, hanc Capitaalem Summam componere placet, quæ plus sedecim Floren. obtinemus millibus, quæ summa ad matrimonium nostrum abunde sufficit, ad ejus rationes igitur lubet conjugalem inire nexum — quid fit? factum puta! & En! ambo beatam vitam agunt. Omnia sola in imaginatione consistunt. —